

Post hec cum florentini amplius solito regionis inciperent dominari: proposuerunt burgum Martura dictum, de comitis Guidonis dominio, sibi supponere. Comes vero iam verberatus, credens denuo verberari non posse, de predicto burgo castrum construxit super podium, qui Podium Bonizi dicebatur, partem montis, ut esset tutior defensio, senensibus concedendo. Prius tamen florentinorum militum venerat acies, et currens prohibere voluit predicti montis ascensum. Tunc enim bellum inceptum est: militibus et peditibus multis bellantibus ex adverso: et licet per aliquam diei particulam bellum durasset, novissime tamen separationem optaverunt florentini. Et licet inimicos cum dampno reliquerint, maius tamen dampnum ceteris qui remanserant retulerunt.

Cum essent vice quadam florentini ad obsidionem castri quod dicebatur Castillione in introitu vallis Trove (1) siti: ecce senenses venerunt super montem qui dicitur Mons maior, abbatię de Insula supereminentem: super ipsum castra ponentes, ut ipsorum forte metu, ab obsidione florentini cessarent. Dominans autem ad contionem congregans universos, capto vexillo et monitione congrua premissa, inter cetera dixit:

« Veniant post me non habentes domos: et quocumque iero, ceteri me sequantur. Erit enim sine damno labor cum lucro decus; et otium in futurum lucrabimur laborando, nec pauperabitur cogitatu nos in itinere sequens, et effectum perpetualiter gaudioso ». Sicque per stratam francigenam currens, finxit se Senis iturum. Dubitantes vero de civitatis amissione senenses; relictis temptoriis, sunt in fugam sine percussione conversi, civitatem preintrare credentes: et cum fugerent, sunt ex ipsis capti mille septingenti: et ad rei memoriam, florentinus quidam currens ad portam, cipellum (2) cum pede proiecit in eandem. Florentini vero predicto castro destructo (3), captos antedictos reducentes, illos sancto Iohanni optulerunt, per regiam portam intrantes et per aliam liberi exeuntes. Dicitur namque quod quia non cognoverunt gratiam ob reverentiam illius sanctissimi sibi collatam, quod est non immerito ab eisdem, ut per sequentia liquet, gratia elongata.

Ad hec cum Maguntinus archiepiscopus legatus in Tusciam serenissimi Frederici primi romanorum imperatoris, vellet sibi subicere castrum quod dicebatur Castellum Florentinum, florentini episcopi proprium; et congregasset de Tuscia universos, preter pisanos; venerunt florentini prope flumen Else castra ponentes et transeuntes flumen, iverunt visuri castellum novum detentum per archiepiscopum antedictum, quod gente plenum et muris, et foveis et turre munitum, inexpugnabile penitus videbatur. Ad quod cum accessissent omnes armati, et cuiusque civitatis acies armata existeret ex adverso, bellum ingens inceptum est, patientibus adversariis: et scalas ponentes ad muros, castellum potentissime intraverunt: licet in introitu plures fuissent mortui securibus, gladiis et lapidibus, et graviter vulnerati; archiepiscopo deridente suos, et quadam quercu reservante vexillum: quod tangere quisque spernens, mandatum reputavit inane. Non enim hec pro victoria scribo, nec in aliquibus super hiis commendando Florentiam: licet ignorante maiori domino vel mandante, fuerit ab archiepiscopo ut dicitur, indebite pregravata. Anno millesimo (4).

(1) Propriamente Val di Strove. Questo Castiglione fu poi detto Castiglion di Strove

(2) Non trovo registrata in nessun vocabolario della barbara latinità questa parola. Penso che debba scriversi *cippellum* e che sia il diminutivo di *cippus*, nel significato di sasso, ciottolo.

(3) Ciò fu a' 13 di luglio del 1145.

(4) L'anno è il 1173. Dell'assalto e presa di Castelflorentino dalle genti di Cristiano arcivescovo di Magonza, tace il Villani. Qualche cosa se ne legge nel Marangone e nel Roncioni sotto quest'anno.